



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

VII. Vtrum actus Virtutum Theologicarum sint impossibiles cum
contrariis actibus vitiosis circa objecta diuersa?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

tota redibit iterum sermo quæst. 10. Vbi etiam examinabitur, ac exponetur, quod dicitur de Gratia sanctificante habente rationem naturæ respectu cæterorum donorum supernaturalium.

Art. 1. Ad 5. Sicur iustus est liber ad peccandum lethaliter, tamen Gratia iustificans sit intrinsicè impossibilis cum quouis peccato lethali, ut fert communior, & vera Theologorum sententia; quia qui iustus est, potest peccando excludere à se iustitiam, ac sanctitatem, & desinere esse iustus, ita qui præuentus est Virtutibus Theologicis, est nihilominus liber ad actus vitiosos contrarios, lethaliter peccaminosos. Quia eliciendo istos actus, potest per eundem corrumpere, & amittere illos habitus. Ratio est, quia neque homo iustus ad peccandum, neque habens virtutem aliquam Theologicam, ad actum vitij contrarij intelligitur liber, ut præhabens Gratiam sanctificantem, & habitum Virtutis Theologicæ cum determinatione ad instans, pro quo primum existit, aut existere proxime potest actus peccaminosus; sed quatenus præhabet eisdem habitus pro instanti immediatè antecedenti, Nempe, quæ pendent ab aliqua sua operatione, quoad conseruationem sui, pro aliquo instanti per eandem actionem, qua determinat effectum necessarium ad sui conseruationem, ut primum existat pro tali instanti, determinat etiam se ut transeat ad idem instans; utque conseruentur pro eodem instanti, ita ut prima formalis determinatio principij, ut conseruetur ipsum, & incipiat existere effectus, sit actio productiua eiusdem effectus.

Art. 2. Nullum porro est inconueniens voluntatem, quatenus præhabet Gratiam, & alios habitus supernaturales pro instanti A, intelligi indifferentem ad peccandum, & non peccandum; conseruandos, & destruendos eisdem habitus per exercitium eorumdem, aut corrumpeudos per contrarium exercitium vitiosum pro instanti B. Quia hæc non est indifferentia ad cooperandum pro instanti B, vel non cooperandum comprincipio existenti præcisè pro instanti A, quin transeat ad instans B, ipsum comprincipium, quod esset inconueniens, sed est indifferentia conueniens voluntati pro instanti A, ut vel per operationem bonam exerceat actiuitatem habitus boni, eundemque per eandem transmittat ad instans B, atque determinet, ut conseruetur pro eodem; vel ut per contrariam operationem malam exerceat similiter habitum vitiosum, vel aliud comprincipium contentium eiusdem operationis male; utque per ipsam malam operationem impediatur transitus habitus supernaturalis ad instans B, eiusdemque pro eodem conseruationem. In quo nullum est inconueniens; sicut nullum est inconueniens in eo, quod quis, quatenus existens in spatio A, sit indifferens ad transeundum in spatium immediatum B, ita ut prima determinatio ad transeundum in spatium B, & ad existendum in eodem, sit ipsa actio transitiva præsupponens suum principium determinatum pro prioris naturæ ad existendum in spatio A, & indifferens ad existendum in spatio B, & consequenter ad conseruandam, & amittendam priorem vocationem, determinatiuam formaliter ad spatium A.

Art. 3. Itaque voluntas præuenta virtutibus Theologicis, pro instanti A, est indifferens ad operandum bene, & malè pro instanti B, dependenter à præexistencia eorumdem habituum in instanti A, cum potestate eos habitus amittendi, ac destruendi pro instanti B. Potest nimirum amitti, ac impediri prius per posterius, non secundum quod est prius, bene tamen secundum entitatem, quæ est prior, ita ut prioritas conueniat, secundum vnum instans reale, & impeditio secundum illud instans reale modo explicato. Quod autem impeditio est à voluntate per vnā partem

contrarietatis, nullatenus aufert perfectam eiusdem indifferentiam ad vtrumque extremum contrarietatis; tamen impossibile sit cum altero eorum extremorum. Nempe, ut aliquid auferat indifferentiam voluntatis ultra impossibilitatem cum altero ex extremis indifferentiæ, oportet ut sit inimpedibile, ac inauferibile per eandem voluntatem, ut patet.

Ad 6. Ostenso esse impossibiles intrinsicè, & ex natura rei, cum Virtutibus Theologicis, actus lethaliter peccaminosos vitij contrarij, quæstio superest solum de voce, an ea impossibilitas sit dicenda physica; quia tanta, ut minimum est, quanta reperitur inter formas purè physicas inuicem impossibiles; an verò moralis, quatenus oppositio, & impossibilitas pendet essentialiter à moralitate, & malitia peccaminosa alterius ex extremis. Dicatur, si placet, impossibilitatem esse formaliter physicam, & fundamentaliter moralem, quatenus fundatur in moralitate actus, & tamen non solum mouet ex congruentia; & decentia quadam ad non contingendum vtrumque illud extremum; sed ex intrinseca sua natura, & exigentia, cui resisti nequaquam potest, saltem sine miraculo. Dictum porro est impossibilitatem istam, vtrumque appelletur, specialiter conuenire vnicuique Virtuti Theologicæ, respectu actus pertinentis ad vnumquodque vitium contrarium.



QVÆSTIO VII.

Vtrum actus Virtutum Theologicarum sint impossibiles cum contrariis actibus vitiosis circa obiecta diuersa?



DEVR non est impossibilis, primò ex Durando. Quia hæreticus negans vnum articulum fidei v. g. Sacramentum Eucharistiæ, pergit nihilominus credere alios articulos, ut Incarnationem, Trinitatem, &c. idque propter auctoritatem diuinam, sicut antea, dum idem esset Catholicus. Ergo componuntur in eodem subiecto, Fides, & Infidelitas circa diuersos articulos. Eadem porro ratio est de perpetratione aliorum peccatorum, coniuncta cum fuga aliorum, contra reliquas duas Virtutes Theologicas.

2. Ex Ripalda, potest quis ex motiui abstinentiæ, esse temperatus in cibis, simulque intemperatus in potu aduersus idem motiuum: esse fortis aduersus periculum non admodum terribile, simulque timide cedere admodum terribili, & sic de similibus. Nempe omnes vniuersim virtutes morales possunt ita edere, eduntque frequenter actus faciles, ut simul dent adiutorem actibus vitiosis contrariis, qui vitari non possunt absque magna difficultate. Ergo idem contingere potest quoad Virtutes Theologicas. Patet consequentia, quia eadem libertate vtimur, cum volumus istis, atque prioris generis virtutibus, & in vtrorumque materia potest occurrere eadem inæqualitas difficultatis circa diuersa obiecta materialia.

3. Ex eodem Ripalda. Perfectio actus Theologici non consistit in indiuisibili; sed potest esse maior, & minor. Possibilis namque est dilectio Dei super omnia tam leniter, quam grauitè contraria, qualis est dilectio Patriæ, & fuit dilectio Christi, necnon Beatæ Virginis in via: sed est possibilis nihilominus alia minor dilectio Dei super omnia grauitè tantum contraria, qualis est ordinaria dilectio viatorum. Ergo possibili-

lis.

lis dicenda similiter est alia dilectio adhuc minor præferens Deum solum omnibus grauissimè contrariis, aut facillè vitabilibus; quin præferat omnibus, vt cumque grauiter contrariis; quæque proinde componi possit cum actu vitij contrarij, peccaminoso quidem grauiter, sed non omnium grauissimè, aut non ita facillè vitabili. Eadem est proportionaliter ratio de Fide, & Spe.

4. Ex eodem Ripalda admodum operosè disputanti; Fieri potest, vt negans aliquam reuelationem diuinam sufficienter sibi propositam, esse reuelationem propriam Dei, simul admittat, ac firmiter consentiat, omne reuelatum à Deo esse verum. Ergo fieri potest, vt quis sit fidelis circa aliquid, & infidelis circa aliquid aliud. Patet consequentia, quia actus, quo creditur omne reuelatum à Deo esse verum, est actus Fidei; siquidem tenemur ad id credendum: actus verò, quo negatur esse reuelationem Dei, quæ reipà est reuelatio Dei, & sufficienter proponitur, vt talis, certissimè est actus infidelitatis; imò est radix totius infidelitatis. Probatur antecedens, quia Hæretici omnes, vel plerique, credunt omne, quod est reuelatum à Deo, esse verum, neque Deum posse reuelare aliquid falsum. Solum ergo negant esse reuelationem Dei, quæ reipà est reuelatio Dei; & idè sunt Hæretici, quia sufficienter sibi propositam, vt talem, nolunt, vt talem admittere. Ergo sunt compossibiles in eodem ille dissensus, & assensus; Et præterea nulla potest assignari ratio repugnantiae coniunctionis eorum actuum in eodem intellectu.

Art. 1. Respon. Quilibet actus Virtutis Theologicæ præfert Deum, quatenus mouentem ad eundem actum, cæteris omnibus occurrentibus in contrarium; idque est de conceptu essentiali actus Theologici, vt liquet ex quæst. 4. Postponit verò Deum sub eadem ratione alicui occurrenti in contrarium quilibet actus vitij oppositi. Nullus enim actus vitij oppositi Virtuti Theologicæ elici potest, quin eliciens illum adhæreat de facto magis motiui alicui creato, quàm diuino mouenti in contrarium. Deferit enim, ac contemnit diuinum, vt sequatur creatum. Actus autem præferens, & postponens idem respectu eiusdem sub eadem ratione sunt inuicem omnino incompossibiles. Impossibile siquidem est, idem velle, & nolle simul sub eadem ratione; amplecti, & reiicere; præponere, & postponere.

Art. 2. Quod in re præsentī eò est manifestius; quia actui Theologico est essentialē, vt præponat Deum rebus omnibus creatis grauiter ipsi aduersantibus, absque vlla exceptione formali, aut virtuali motiuorum, difficultatum, circumstantiarum. Qui enim hoc modo non præponit Deum rebus creatis, siue quoad intellectum, siue quoad voluntatem, non est benè ordinatus respectu sui vltimi finis, vt patet, siue quoad intellectum, siue quoad voluntatem. Ergo quælibet exceptio in contrarium, respectu cuiuscunque obiecti particularis, facta per actum vitij oppositi respectu cuiusvis obiecti materialis opponitur contradictoriè ex parte obiecti, cuiuscunque actui Virtutis Theologicæ circa motiui, sub quo tale obiectum materiale comprehenditur. Ergo neque circa idem obiectum materiale, neque circa diuersa obiecta materialia, possunt in eodem intellectu, aut voluntate componi inuicem actus Virtutis Theologicæ, & vitij oppositi, quæ est sententia D. Thomæ, aliorumque communis 2.2. qu. 5. ar. 3. aduersus Durandum absolute contradicentem, & aduersus Card. de Lugo, ac Ripaldam distinguentes quoad hoc inter actus Theologicos perfectos, & imperfectos, seu minùs perfectos, vt dicitur ad 3.

Ad 1. Qui negat vnum articulum Fidei sufficienter sibi propositum, non potest simul credere alium

articulum Fidei Theologicæ, siue Catholice, & supernaturali: Quia eo ipso contemnit auctoritatem diuinam præ aliquo motiui creato, nec potest illi semel ita contemptæ adherere simul absque formidine, aut eius aliquod testimonium præferre omnibus aliis occurrentibus in contrarium in vlla materia. Si enim ea, quæ in contrarium occurrunt circa articulum negatum, occurrerent in cæteris, quos admittit, eos quoque negaret ex vi præsentis dispositionis animi sui. Patet autem ex dictis supræ eas duas conditiones esse de ratione Fidei Theologicæ, & salutaris. Quare Hæreticus formalis eos articulos, quos admittit, idè admittit quia consonant, aut non vique adeo repugnant rationibus suis apparentibus, aut appetitionibus suis vitiosis. Certè non admittit cum ea reuerentia, & æstimatione auctoritatis diuinæ, quam oportet habere, quæque est de conceptu actus Theologici. Vnde non credit eos articulos, sicut credebat, cum esset Fidelis; sed longè aliter, nempe innixus motiui aliquo creato, saltem partialiter, cum vilipendio motiui increati.

Ad 2. Non est de ratione virtutis moralis, vt præferat suum motiui cæteris omnibus, vt cumque occurrentibus in contrarium. Sufficit enim, si illud præferat motiui, quod hic, & nunc impellit in contrarium præscindendo à cæteris tam formaliter, quàm æquiuallenter. Prælatio autem respectu vnius motiui tantum, componi facillè potest cum postpositione respectu alterius motiui in contrarium, sicut prælatio testimonij exhibiti ab homine probo, præ testimonio hominis improbi, componitur cum postpositione eiusdem respectu testimonij exhibiti à magis probo. At est diuersa, imò contraria prorsus ratio de Virtute Theologica ob perfectionem prælatiui peculiarem ipsius, fundatam in dignitate obiecti infiniti, in quod fertur. Quare licet sit eadem libertas quoad exercitium respectu actuum vtriusque generis; non tamen est eadem, nec tenet paritas, quoad specificationem.

Art. 1. Ad 3. Dilectio Dei, qualis proponitur in obiectione, non est ita perfecta, vt excedat limites, viresque naturæ, & vt sit propria virtutis amicitie hominis erga Deum; cum similis dilectio nec propria esse possit amicitie hominis ad hominem, de cuius videlicet ratione est, vt opponatur omnibus grauiter offendentibus amicum. Quæ ratio, cum non militet aduersus ea, quæ sunt leuiter tantum offensiva amici, patet paritatem adductam esse nullam. Videantur, quæ dicta sunt quæst. præced. ad 3. & tota quæst. 4. pro ratione in hunc scopum communi tribus Virtutibus Theologicis. Ex his locis constat actus non præferentes Deum super omnia, grauiter vt cumque contraria, esse admodum imperfectos, nec ad ordinem supernaturalem pertinere. Certè non est actus Charitatis, & amicitie, qui cum actuali inimicitia componitur; neque obsequij captiuantis intellectum, qui cum eiusdem rebellionē coniungitur; nec spei in Deo firmiter collocatæ, qui compatitur secum desperationem de eodem.

Art. 2. Quapropter actus, qui reputantur Theologici à P. Ripalda, sunt potiùs moderationes quædam inimicitie, infidelitatis, & desperationis, & quominus ferantur in Deum, appetiando ipsum super omnia simpliciter contraria, ad quod ipse mouet, quodque præcisè exigit quantum est de se, necesse est, vt impediuntur motiui aliquo creato, quod immisceatur, ac præponatur implicitè, vel explicitè, motiui seu auctoritatis, seu bonitatis diuinæ, quod indicant apertè testimonia quædam Augustini, & Bernardi, quæ proinde non rectè adducit pro se idem Ripalda, cum potiùs ei aduersentur. Eiusmodi autem admixtio, ac præpositio motiui creati, aufert rationem actus Theologici, vt patet ex dictis supra, necnon ratione

tionem actus supernaturalis, ut liquet ex conceptu excellentis perfectionis, quam supernaturalitas secum importat, iuxta communem eius vocis usum apud Theologos.

Ad 4. Discursus P. Ripaldæ laborat duplici falsa suppositione. Altera est, posse negari aliquam Dei reuelationem sufficienter propositam, quin negetur esse verum aliquid à Deo reuelatum; Cum omnis Dei reuelatio sit per seipsam reuelativa sui; ideoque negata qualibet Dei reuelatione, eo ipso negetur esse verum aliquid reipsa, reuelatum à Deo. Altera est, posse admittere aliquid esse reuelatum à Deo, simulque negari id esse verum, cum sit per se notum, omne reuelatum à Deo esse verum, id est, Deum nec mendacem esse posse, nec insipientem. Quæ duæ nostræ contrariæ suppositiones, innotescunt clariùs in decursu.



QVÆSTIO VIII.

Vtrum ad infusionem Virtutum Theologicarum requiratur ex natura rei, aliqua dispositio?



IDEATUR non requiri ex natura rei. 1. Quia Christo Domino insulae fuere, & infunduntur paruulis in Baptismo Virtutes istæ absque vlla præuia dispositione. Ergo hæc non est requisita, ex natura rei, nec exigitur intrinsecè per eos habitus.

2. Virtutes Theologicæ, iam semel habitæ conferuntur ulterius, ac permanent non permanente vlla eiusmodi dispositione. Dispositio autem non necessaria ad conseruationem rei, nec ad primam eius existentiam necessaria esse potest per se, & ex natura eiusdem secundum se.

3. Auxilia actualia Gratiæ, quæ sunt minus perfecta, ideoque minus habentia doni gratuiti, & proprii largitatis diuinæ, conferuntur absque præuia vlla dispositione, & sunt in nobis sine nobis, ut dictum est qu. 16. de Grat. Ergo à fortiori habitus Theologici conferuntur per se, & ex sua natura purè gratuito, & absque vlla præuia dispositione ex parte nostra.

4. Gratia sanctificans ex sua natura est prima radix vniuersalis totius ordinis supernaturalis. Ergo nihil supernaturale præsupponitur ad ipsam per se; sed tantum per accidens ratione peccati; quod oportet prius retrahere. Nequit autem esse necessaria dispositio ad infusionem virtutum; si non est necessaria ad infusionem Gratiæ sanctificantis; quia hæc illos trahit secum necessariò.

5. Ad infusionem Virtutum Theologicarum, non possunt habere rationem dispositionis præuiæ, actus pertinentes ad easdem virtutes, neque actus pertinentes ad virtutes alias. Non priores, quia non potest præsupponi ex natura rei effectus aliquis ad causam, à qua determinatè dependet ex sua natura, uti dependet actus cuiusque virtutis ab eadem virtute, & præterea in Sacramento infunditur habitus Charitatis, etiam non præhabenti actum Charitatis. Neque etiam posteriores, quia actus aliarum virtutum impertinenter se habent ad Virtutes Theologicas. Quid enim confert ad obtinendum habitum Fidei, esse abstinentem, aut fortem? Non plus perfectò, quam esse album, aut dulce ad concipiendum ignem.

6. Dispositio ex natura rei requisita ad inducendam aliquam formam connectitur intrinsecè cum existentia eiusdem formæ, & consequenter eius inductio non habet ampliùs rationem gratiæ moraliter distinctæ.

R. P. Esparza Curs. Theol. Tom. I.

et ab existentia ipsius dispositionis. Nihil autem præstari potest ex parte nostra, ratione cuius debeatur Virtutes Theologicæ; utpote quibus intimè familiariter, ac amicebiliter coniungimur cum Deo, quæ tanta coniunctio cum ipso, non potest non esse gratiosa, & liberalis ex parte eius, post quamcumque cuiuslibet generis diligentiam, & præparationem ex parte nostra. Excedit nimirum infinito intervallo dignitatem omnium operum nostrorum antecedentium ad talem, & tantam dignationem Dei.

7. Dispositio ad formam influere efficitur in ipsam saltem partialiter. Quia quod nullatenus influere in formam inducendam, nulla ratione ad inductionem eius utile, aut necessarium est. Virtutes autem Theologicæ infunduntur à Deo, non verò acquiruntur à nobis; nec obtinentur actiuitate nostra; sed largitate diuina. Id quod semel ac iterum significat clarè Concil. Trid. sess. 6. Ergo ad infusionem Virtutum Theologicarum non requiritur dispositio ex parte nostra, per se, & iuxta naturam ipsarum.

Art. 1. Resp. Certum est necessariam esse aliquam dispositionem ex parte hominis, saltem respectu Gratiæ sanctificantis; atque adeò respectu habitus Charitatis, qui est indistinctus, vel certè inseparabilis ab illa. Id quod definit sæpè Conc. Trid. sess. illa 6. in Decreto de Iustificatione c. 5. 6. & 7. & colligitur ex illo Zachariæ 1. *Conuertimini ad me, ego conuertar ad vos;* necnon ex Apocal. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso. Si quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum.* In quibus clarè perspicitur, conuersionem nostram ad Deum, & apertionem cordis nostri, esse dispositionem de facto, ut Deus ad nos conuertatur, & intret ad cor nostrum. Dicitur autem conuerti, & intrare, non per infusionem auxiliorum actualium Gratiæ: quæ videlicet, præcesserint necesse est ante nostram conuersionem, & præparationem; sed dum infundendo habitus Virtutum Theologicarum, nos sibi, & se nobis coniungit, ac permanenter inhabitat in animo nostro.

Art. 2. Licet autem ista vniò atque inhabitatio tunc simpliciter, ac perfectè fiat, cum infunditur Charitas, & sanctificatio; eadem nihilominus inchoatur, cum infunditur habitus Fidei, & promouetur, cum infunditur habitus Spei; ideoque ad infusionem istorum habituum requiritur non minus, licet requiratur minor, seu minus perfectà dispositio, quam ad infusionem Charitatis. Sic enim inchoata conuersione nostra ad Deum per dispositionem minus perfectam, inchoatur conuersio Dei ad nos per formas permanentes minus perfectas. Sicut completa nostra conuersione per dispositionem perfectam, completur conuersio Dei ad nos per formam permanentem perfectissimam.

Art. 3. Istam necessitatem dispositionis, non solum ad habitum Charitatis, sed etiam ad habitum Fidei, & Spei, indicat haudquaquam obscurè Conc. Trid. loc. cit. dum definita necessitate dispositionis cap. 6. mox in principio cap. 7. adiungit, hanc dispositionem consequi iustificationem ipsam per voluntariam susceptionem Gratiæ, & donorum. Vbi dona superaddita Gratiæ sunt Virtutes Theologicæ, ut colligitur indidem post medium capitis: exponendo enim distinctius, quid accipitur in iustificatione cum remissione peccatorum, adicit: *Hæc omnia simul infusa accipi, Fidem, Spem, & Charitatem.* Horum donorum susceptio est homini per æquè voluntaria; voluntaria verò non nisi dependenter à dispositione voluntariè, & liberè ad omnes illos antecederet concepta.

Art. 4. Dubitatur iam, an ea necessitas dispositionis ad infusionem istorum trium habituum, oriatur ex sola voluntate diuina statuente pro libito non conferre eos habitus, nisi præueniente illa dispositione, eum potuisset æquè connaturaliter velle infusionem eorū

XX absque